

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Dissertationem Moralem De Norma Actionum Humanarum
Indultu Facultatis Inclytae Philosophicae In Celeberrima
Academia Lipsiensi die VII. Maii Ann. MDCXCIIIX. H. L. Q.
C. sub Praesidio Dn. M. Joh. ...**

Lipsiae, 1698

§. XIII

urn:nbn:de:bsz:31-102642

virtutis, & ut incumbenti obligationi satisficiat, sed metu pœnæ, quam lex transgressoribus minatur.

§. XI.

Justitia actionum præter congruentiam cum lege, in qua earum bonitas consistit, involvit *relationem ad personas*, ad quas illæ applicantur.

§. XII.

Notissima justitiæ divisio est in *universalem & particularem*, quam non uno modo explicant. Communiter *justitiam universalem* cum Aristot. dicunt *exercitium omnium virtutum*, cum nimirum homo secundum leges virtutibus incumbat, cum in finem, ut bene ac feliciter cum aliis vivatur, & *Respublica sit beata*. Vid. *Eth. 3.* *Particularem* autem *justitiam* dicunt eam, quæ versatur circa bona externa, seu dicunt *virtutem moralem*, quæ quis aequalitatem servat inter plus & minus in iis, quæ alteri in societate civili tribuenda vel irroganda. v. *Struv. Jurispr. Rom. Germ. L. I. T. 1. aph. 15.* Queritur, an hæc divisio se rectè habeat? R. Neg. Nam (1.) non est rei ipsius, sed magis conceptuum & notionum, (2.) & universalis versatur circa bona externa, adeoq; hæc vera divisio non est, cum unum membrum dividens alterum sub se comprehendat. Hinc si vehimus, quod res est, explicare, assumenda divisio *Pufendorfii*. Scilicet pro diversitate debiti, diversa est justitia; quæ circa debitum naturale imperfectum occupatur, est *Justitia universalis*; quæ autem circa debitum perfectum est *particularis*. Hinc etiam universalis versatur circa res in commercium non venientes, & non spectatur, an, quod præstatur, præcisè æquale sit causæ, ob quam debetur. Particularis autem versatur circa res in commercium venientes, & ubi perfectum quis habet jus.

§. XIII.

Hoc Jus autem vel descendit *ex pacto* expressè, vel tacitè inter membra & societatem inito; vel *aliunde*. Ibi observatur *Justitia distributiva*, sub cujus objectum imprimis cadunt honores & onera. Quando enim quis societati adjungitur, ipse paciscitur quasi cum societate, ut sibi pro modo operarum, quas societati præstaturus est, & onerum, quæ esset laturus, commoda etiam atque honores
distributi-

distribuat; & contra societas tacite à novo hoc membro paciscitur, ut pro commodis quæ percipiet, onera etiam ferat. Unde apparet, quod tacitum hoc pactum respectum habeat ad onera membri societatis in conferendis ipsi honoribus, & commoda in navandâ societati opera, ferendisquæ oneribus. Qui respectus, cum conferat inter se commoda & incommoda, & proinde non simplex sit, sed comparatus; inde est, quod in Justitia distributiva vulgò dicitur, attendi *Proportio Geometrica*; qui terminus, ut & *Proportionis Arithmetica*, ex *Mathesi ab Aristotele* petitus est, sequuto morem illorum temporum, quo ante cæteras disciplinas Mathematicis instruebatur animus; adeoque à notioribus jam antè perceptis ipse voces has desumebat. Verùm hodiè, cum is mos in contrarium ferè sit conversus; satius videtur, & magis pro captu discentium, omiſſis obscurioribus illis, adhibere terminos *proportionis comparatæ*, & *simplicis*, quod fecit *Pufendorf*, c. 1.

§. XIV.

Justitia particularis pro objecto habet itidem res & actiones in commercium venientes, sed *singularum*, in quo imprimis specifica ejus à distributiva differentia consistit. Hic ergo simpliciter habetur respectus inter rem & rem, vel inter rem & actionem; observanturque uti in distributiva particulæ: *toties, quoties*; ita hic particulæ: *tantum, quantum*. *Quantum tu mihi das, v.g. mercis, tantum tibi do pecunie*; & respectus hic simplex, ut supra dictum, aliàs vulgò audit *proportio arithmetica*. Uti enim in hac simplex est inter numerorum differentias æqualitas; in Geometrica autem comparata; ita hic inter rem & rem vel actionem etiam; quod, ut supra vidimus, in justitia distributiva secus. Ubi tamen observandum, quod, cum in Justitia commutativa simplex attendi dicitur æqualitas, id pro modo æstimationis moralis intelligendum sit, ubi exiguus defectus vel excessus non attenditur.

§. XV.

Et ad hanc etiam Justitiam commutativam non dubitamus referre *inſtitutionem pœnarum*. Hæ enim cum infliguntur, rectè æstimationis delictis, utique simplex occurrit inter delictum & pœnam æqualitas; neque ad personas respectus habetur. Quamvis enim ob